

Im. 17.

4

METHODVS NOVA
PRÆSERVANDI ET CURANDI
ATROPHIAM
SEU
MACIEM
INFANTVM,

& per consequens
MORBVM sic dictum ANGLICVM,

QVAM
MVLTIPLICI EXPERIENTIA CONFIRMATAM
PVBLICIS VSIBVS COMMENDAT

D. CHRISTIANVS FRIDERICVS
CHUDEN,

PHYSICVS PROVINCIALIS IN VETERI MARCHIA ET COL-
LEGII MEDICI BEROLINENSIS ADJVNCTVS.

LIPSIÆ,

Sumptibus ERNESTI HENRICI CAMPEN,

BIBLIOPOLÆ VETERIS MARCHIÆ.

SOLTQVELLÆ, excudebat CHRISTIANUS SCHUSTER, 1726.



REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ
ET ELECTORIS HANNOVERANI
CONSILIARIO AULICO ET ARCHIATRO
PRIMARIO,

VIRO ILLUSTRİ, ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DN. JOHANNI
GEORGIO
STEIGERTHAL,

HASCE THESES OFFERT

AUTOR.



VIR ILLUSTRIS ATQVE EX-
CELLENTISSIMÆ
PATRONE ac FAUTOR MAXIMOPERE
DEVENERANDE,

Humanitatem tuam, VIR Illustris, apud
omnes celebratissimam, & amicitiae
documenta tuæ in me plurima, quæ ab
illo tempore, quando Te cognitum atque
perspectum habeo, usque huc mihi dedisti,
non prædico solum publice, sed &, quoties,
Rege Magnæ Britanniae huc viciniae in Gôrda
præsente, dulcissimo tuo colloquio frui, li-
cuit, immensum eruditionis tuæ & multo
rerum usu partæ experientiae thesaurum ad-
miratus ego, me ex ore Tuo magna scientiae
meæ exiguae fecisse incrementa, & luculen-
tissima favoris Tui plane immeriti expertum
semper esse testimonia, lubens profiteor &
grata mente recolo. Ea vero propter &
cum illud ipsum argumentum in his thesi-
bus

bus expositum, cum morbo Anglico endemio seu rachitide, nexu quasi quodam & affinitate junctum videatur, Tuque etiam aliquot abhinc annis de hac materia mentem meam Tibi exponere, permiseris benignissime, positiones has, licet numero paucas & scriptionis genere non comprobatas Tibi, VIR Illustris tamen offerre, non formidavi. Equidem materiam hanc minus perpolitam, adeoque magnorum virorum lectione non satis dignam expono, verum, cum ab ipso usu commendetur, multique, ut hac methodo nova publicum donarem, enixe à me flagitaverint, fretus Tuo patrocinio, eo minus communi commodo, justisque bonorum desideriis deesse potui, quo majora in genus humanum ab hac emolumenta esse redundatura, nullus dubito. Quod si conatus mei publico inserviendi, Tibi, VIR Excellentissime, probabuntur, studiosius cœptam elucubrare materiam quam maxime incitabor, imo nil mihi erit dulcius, quam si rescivero, morbum illum Angliæ endemium Rachitidem tum præservationis tum curationis gratia, fructum aliqualem ex hac simplici medendi ratione cepisse. Cæterum ex animo precor, ut clem-

men-

mentisimum cœli Numen Te omni felicitate perfusum, quam diutissime superesse jubeat, velitque omnia consilia, quæ in maximi Regis, (cui regiminis diuturnam felicitatem viriumque constantem vigorem ad aquilæ senectam Deus T. O. M. impertiatur) fanitatem & incolumitatem servandam, a Te quotidie suscipiuntur, saluberrimo semper ac felicissimo eventu beare. Inter quæ vota emorior

ILLUSTRIS ATQVE EXCEL-
LENTISSIMI
NOMINIS TUI

Soltquella,
d. 13 Maji, 1726.

cultor perpetuus

C. F. Chüdeni.



Thesis I.

venadmodum omnes evacuationes & excretiones, quas provida natura in corpore nostro instituit, hunc in finem præprimis suscipiuntur, ut, quicquid molestum, insensum, nocivum corpori esse possit, maturius ejiciatur & expellatur, ita excretio illa cutanea, quæ sub nomine transpirationis insensibilis apud autores reperitur, merito in hunc censum venire debet, quippe hujus ope omnes illæ sordes, ac inquinamenta, quæ sanguinem sædare, & ad plurimos morbos ansam dare possunt, quotidie & fere per singula momenta, leniter, blande, & moderate, per hiantes cutis porulos eliminantur, sicque corpus nostrum hac ratione à multis incommodis præservatur.

§. 2.

Igitur facile ex pathologicis abundeque perspectum esse debet, quanta incommoda ex hac transpiratione impedita aut suppressa ortum trahere possint, & licet *Sanctorii* opinionem, qua in *medicina statica* asserit, tantum materiæ per inconspicua cutis spiracula in unica die evacuari, quantum per alvum in quindecim, pro infallibili & perfecta non declaremus, tamen hoc cum toto medicorum choro affirmare non dubitamus, plures morbos ab impedita transpiratione, quam ab omnibus aliis evacuationibus suppressis, oriri posse. Præsto sunt exempla non tantum in adultis, ubi prohibitionem transpirationis affhmata, tussis, coryzæ, graves pleuritides, & sic porro secuti fuerunt, sed & præcipue de corporibus infantilibus notum est, ab horrido aëre, & subita refrigeratione, febres catarrhales, crustas lacteas, achores & multa plura incommoda, sua capere primordia

B

mordia

mordia, imò de variolis & aliis febribus exanthematicis, nec non scabie constat, quam male sibi consulant, qui aut corpus frigidiori aëri exponunt, aut alia ratione liberam exhalationem miasmatum præpediunt.

§. 3.

Quæ cum ita fiat, & veritate practica nitantur, merito in id summo studio est incumbendum, ut transpiratio illa in utero materno apud embryonem, gestationis tempore prohibita, simulac infans in lucem publicam emittitur, statim, quantum possibile, libera reddatur & promoveatur. Infantem enim in utero neque respirare, neque transpirare ex hac ratione potissimum credimus, cum aëris usu, quamdiu in ergastulo suo latet, non gaudeat, & cum absque aëre nihil possit egredi corpore, nec etiam intrare, imo neque respiratio neque transpiratio sine aëre fieri possit, utique embryonem in domicilio suo aëris usura carere, necessum erit ut fidem adhibeamus. Accedit aliud argumentum, nimirum omnibus illis, qui artem obstetricandi in partu difficili professi sunt, cognitum erit, de nulla alia re magis querelas moveri, quam quod manus in uterum immissa, & per paucillum temporis ibi tantum modo detenta, rigida & ferme stupida fiat, ex nulla alia causa, quam quod in totius uteri cavitate nullus omnino aër præsens sit, ad circulum sanguinis vitalem tuendum. Validissimum vero argumentum quod impedit, quo minus credamus, embryonem in utero transpirare, dabit glutinositas illa viscida, qua tenellulum infantis in publicum ex uteri emissi corpusculum, semper, sæpius vero quasi glutine obductum est, ut obstetricibus multum negotii faciat, ad sordes illas absterendas, hæc ipsa visciditas corpori quasi agglutinata, simul causa erit, transpirationem in embryone, nullatenus succedere posse. Equidem non ignoramus *Rodericum a castro* in tractatu de natura mulierum, & post eum *Drelincurtium* in illa opinione esse, quod liquor ille clarus in amnio contentus sit ipse sudor, & ex transpirationis negotio proveniat, sed cum argumenta eorum ab aliis inprimis à *Cl. Bergevo* in *Physiologia* p. 478 sint destructa, potius statuimus, transpirationis actionem ex defectu aëris in embryonem præpediri.

§ 4.

§. 4

Interim ex hacce cohibita transpiratione illud provenit incommodum, quod omnes illæ impuritates toto gestationis tempore collectæ, & ex massa sangvine in poris cutis segregatæ, ibidem subsistant, adeoque nisi statim post partum eliminentur, causam præbeant primariam illius affectus, qui apud autores *atrophia, macies*, das Abnehmen der Kinder, vocari solet. Etenim, quamvis infans in corpore materno, liquore alimentoso, puro, & optimo nutriatur, ut proinde secretionem partium inutilium excernendarum non opus esse videatur, attamen lympham illam nutritilem non adeo subactam aut percolatam esse, ut nullæ impuritates ex hac segregandæ sint, ex meconio, urina, & per consequens ex fordibus in poris cutis hærentibus abunde perspicitur potest, hinc ob puritatem hujus humoris alibilis, hæc differentia solummodo, aderit, quod infans hac ratione non opus habeat omni die excernere, sed facili negotio omnibus illis excretionibus ad tempus egressionis ex utero vacare possit.

§. 5.

Simul ac itaque infans ex utero in publicam lucem ejectus est, ac circumambientis aëris usura frui incipit, non tantum ab aëre mox affluente, & per os & nares ingruente otiosi hætenus pulmones explicantur, & respirationis actio incipit, sed & omnes cæteræ se & excretiones, per cutem, per alvum, per urinam, per nares, & sic porro, sua capiunt primordia ac initia, imo ipse sanguinis circulus aliter, velut apud embryonem in utero, procedit, ubi vero circa transpirationis negotium notandum, quo pauciores illæ sunt impuritates, quæ ex cohibita transpiratione in utero collectæ sunt, eo melius & transpirationem postea succedere, & sæpius sola ope respirationis, quippe quæ duæ actiones transpiratio & respiratio aliquam inter se analogiam habere videntur, has sordes ejici posse, quo major copia impuritatum adest, & quo viscosius illud ipsum excrementum in poris cutis & præcipue in partibus musculosis hæret, eo minor erit actio illa transpirationis corpori adeo necessaria, ut proinde ab hocce solo impedimento infantes nutritionis

augmentum capere non possint, sed pedetentim paulatim ad atrophiam seu maciem disponantur.

§. 6.

Hic autem est ille morbus, omnibus regionibus frequens ac familiaris, ubi sapius admirari satis non possumus infantes nuperime natos, quippe quorum corpora non tantum deformata, sed & fere omni carne privata adeo flaccida saepe cerni, ut ossa vix musculis tegantur, hinc vulgus etiam in hac erronea radicata opinione persistit, tales infantes primis diebus post partum, ab incolis subterraneis, permutatione facta, ad nos, uti dicunt; delatos, nostros e contra, ante sacri baptismatis adspersionem clam sublatos esse, unde tales etiam Wechselfänge vocant. Verum quam infantilis & superstitiosa hæc sit opinio, nemo non statim videt, potius hæc ipsa atrophiam seu maciem infantum consistit in corporis emaciatione & frustrata nutritione, quæ originem trahit ex particulis viscidis, mucidis, frigidis in poris cutis ob suppressam transpirationem in utero, secundario vero ab obstructione ductuum & osculorum lacteorum, nec non infarctu glandularum meseraicarum; sequentibus vero signis sese manifestare solet: Infantes ejusmodi, quorum corporis pori tali modo obstructi sunt, fere semper cutis quandam asperitatem, in dorso, femoribus, & pedibus habent, macilentissimi sunt, atque ex materno aut nutricum lacte nullum percipiunt nutrimentum, insuper clamore fere perpetuo dolorem, ex torminibus ventris ortum, produnt, somnus adest parvus, & interruptus, alvi fluxus viridis particulis caseosis mixtus, urget, inflatio & elevatio adest hypochondriorum, corpus pallet, tandem pectus & abdomen paulatim solent inæqualiter protuberare, & duritiem aliqualem concipere, præprimis quando accedit consumptio partium carnosarum & summa flacciditas, ubi tunc brachia & pedes simul decrescunt, nec infantes pedibus inniti possunt, ultimo vero, quando cura diu protrahitur, ipsa macies in febrem hæcticam & mortem terminare solet.

§. 7.

Jam discerniendæ erunt causæ, ex quibus hic morbus ortum suum trahat ubi in §. antecedenti duas allegavimus, nempe

nempe primo obstructionem pororum cutaneorum ex transpirationis defectu, secundo vero infarctum & oclusionem glandularum meseraicarum, idque certe non sine ratione. Cum enim transpiratione suppressa, quicquid hic impuratum evacuari debuit, necessario negato ibi transitu & exitu familiari, in alia corporis loca deferatur, ita certe plus ibi damni affert, quam postea, quantumlibet libera porta reparari queat, hinc apud infantes, quorum corporis pori jam tum in utero materno spissitudine excrementitia repleti sunt, **Q**uando aeris usura utuntur, & lacte materno nutriuntur, ob defectum transpirationis, serum illud impurum excernendum in aliis locis corporis stagnat, ibidemque multa affert incommoda, & ad hoc malum procurandum maximam dat ansam, Obstructis enim poris cutaneis (*utor verbis beati Dn. Wedelii ex pathologia p. 506 desumptis*) viscida humores colliguntur intra cutem & carnem, ibique impediunt transpirationem fuliginum, unde non solum calor suffocatur, sed etiam alimentum inficitur, quæ causa est affectus illius infantum, quem vocant crinones. Quapropter firmissime credimus, illam ipsam suppressam transpirationem non tantum primariam causam hujus affectus esse, sed & alteram nempe obstructionem glandularum mesenterii ex hac fluere, nimirum serum illud retentum inquinat & alterat alimentum infantis, idque in spissitudinem & muciditatem convertit, ut chylus hac ratione non recte separari, nec per glandulas mesenterii transfluere possit, undæ hæ glandulæ a tali viscido alimento eo magis occluduntur & totum tenelluli corpus sufficienti nutritione defraudatur, privatur, tandemque plenissime consumitur.

§. 8.

Cæterum, quando hæc duas causas pro fundamento hujus morbi posuimus, nullatenus alias causas occasionales, ad hunc affectum disponentes, excludimus. Optime enim novimus, quanta incommoda oriantur ex nimia voracitate infantum, ex pane calido, ex potu nocturno & aliis esculentis & sæculentis, quæ infantibus obruduntur & conceduntur, quæque concoctionem & assumptorum resolutionem multum impediunt, & ex quibus causis primariam originem atrophix Dni, *Wratilavienfes*

in *historia morborum* p. 22. deduxerunt; sed cum noster sermo non sit, de macie illa, quæ post ablactationem infantibus accidit, qui ante hanc carnosæ & optimæ constitutionis fuerunt & de qua *Cl. Ludovicus in Miscell. Nat. Curios. Dec. I. Anni III. p. 453.* conqueritur, quod ibidem sit familiaris & quod tales ablactati instar sceleti, lenta atrophia consumantur, potius nos jam in eo occupati simus, ut illas causas enodemus, quare infantes statim primis mensibus post partum nullum incrementum capiant, sed contra marcescant, hæc causas occasionales alias multum nostrum affectum promoventes, jam non attingimus.

§. 9.

Non occupati etiam erimus in causa supra naturali eruenda, nempe an atrophia infantilis fascinationi & incantamento sit adscribenda, nec ne, cum hæc opinio multis tenebris adhuc sit involuta, & quanquam *Schenckius in peculiari dissertatione maciem puerorum ex fascino ortam tractaverit*, illamque ut plurimum à sagis induci credat, imo ipse *Wedelius in libro de morbis infantum* & alibi duas species atrophix à vulgo laudatos, recenset, alteram à fascino, alteram à comedonibus, cum illo tamen potius credimus hanc speciem à fascino ortam esse rarissimam, hancque hypothesein vulgi opinioni receptæ esse adscribendam, medicumque etiam in hoc ultra vulgus sapere debere.

§. 10.

Illud autem disquirendum utique venit, quid de crinonibus seu comedonibus sit sentiendum, quippe qui in poris cutis hærentes, ad vermium genus ab omnibus fere Autoribus referuntur, & quibus vermiculis atrophix causa palmaria adscribitur. *Joh. Langius in Epist. p. 174.* Jam apud veteres tale genus vermium notum fuisse refert. *Timaus vero p. 259. Etmullerus in operibus p. 1212 & 1717 Doleus in Encyclopadia p. 482, Ammannus in parænesi p. 150. Bierling in thesauro p. 485. Nenterus in fundam. Tom. I. p. 956. Zwingerus in theatro p. 341. Franc. Low ab Erisfeld in Medic. Pract. p. 379* & plures alii, quos recensere superfedemus, quando de Crinonibus & Comedonibus verba faciunt, unanimi consensu illos pro vermiculis habent. Imo

Imo *Cl. Etmullerus* in operibus figuram eorum per microscopium detectam satis accurate exhibuit, quando illos nominat vermiculos, seu animalcula viva, coloris subcinericii, cornibus seu potius antennis binis longe prominentibus instructos, oculis rotundis, crassiusculis cum cauda oblonga, in fine villosa, uno nomine aspectu satis horridos. Verum enim vero, quanquam ego ipse plus quam centies hos ipsos crinones tum nudis oculis tum etiam per microscopium contemplatus sim, & præpripis per hoc formam seu figuram mirabilem observaverim, atamen multa experientia & rationibus convictus hisce illustribus viris symbolum addere prohibeor, potius firmissime credo, hos ipsos crinones & comedenes ex cute proleptos nihil aliud esse, quam excrementum viscosum, lentum, in poris cutis tempore gestationis in utero, & quidem à cohibita transpiratione congestum, & postea in publico aëre ulterius condensatum, omnibus infantibus neonatis familiare, stagnatione sua ansam præbens, ut infantes omni fere nutritione defraudentur.

§. II.

Equidem non negavero in statu præternaturali & ubi corpus adest plane cacoehymicum, ex hac ipsa excrementitia viscida materia in putredinem redacta vermiculos generari posse, verum ex illa observatione quæ reperta in *Miscell Nat. Curios. Dec. I. Ann. VI & VII. p. 8*, & ubi ex pueri corpusculo post assumptam theriacam, minutissimos vermiculos albos egressos esse, recensetur, existentia horum vermiculorum non erit probanda, quod & mellis inunctio cujus ope *Dn. D. Fieber* in *Samlung von Natur und Kunst-Geschichten, und zwar im 4ten Versuch*, vermiculos alleptos esse, eorum præsentiam demonstrare non poterit, cum egressus viscidæ materiæ ex cutis poris non dulcedini mellis, sed potius ejus mucilagini & balneo tepido sit adscribendus.

§. 12.

Ex quibus omnibus hæc veritates practicæ aperte fluunt.
Atrophia seu macies infantum est morbus, primario dependens
à cō-

à cohibita in utero insensibili transpiratione & collecta inde in poris cutis materia muccido-viscida, quæ quo diutius ibidem stagnat, eo magis tenellulum corpus destruere, & ad obstructions glandularum & infimi ventris cruditates coacervandas, apta est, secundo vero ortum trahens à glandularum mesenterii occlusionone.

Omnes infantes, quotquot eorum nascuntur, habent obstructos cutis poros tali materia, hac solummodo cum differentia, quod quo purior materia alibilis in utero a matre ipsi exhibita, eo minor erit ejusmodi collectio, & contra, quo impurius alimentum, eo major coacervatio sordium in poris.

Hæc viscida impuritates non sunt vermes crinones vel comedones dicti, & improprie *Mittesser* vocantur, neque ullo modo ad seminum animatum referendum, cum experientia quotidiana contrarium edoceat.

Hinc in cura tum præservatoria, tum curatoria unicum atque præcipuum remedium est, ut sordes istæ in poris cutis hærentes removeantur & extirpentur, motusque transpirationis prohibitus liber ac idoneus restituatur, deinde ut infarctus glandularum ductuumque lacteorum ac tubulorum chyli ferorum quantocyus tollatur, chyloque alibili liber transitus concedatur,

§. 13.

Quod si nunc secundum hæc indicantia tum præservatoria, tum curatoria methodus institui debeat, merito de cura præservandi hanc maciem infantum initium facimus, ubi certe benevolus lector à nobis non expectet aliquod præpollens & eximium medicamentum noviter detectum vel inventum, quorum copia in novellis publicis ad nauseam usque plenis buccis deprædicatur, sed potius audiat, nos per 7 fere lustra, quamdiu nempe praxin medicam exercuimus, ad hunc scopum obtinendum & obtentum simplicissimam methodum adhibuisse, est & fuit illa repetitus balneorum usus, præprimis tempore puerperii tertia, quarta, sexta hebdomade post partum. Hic benevolus

❁) o (❁

nevolus lector, quando usus balneorum commendatur, jure succensere posset, quod pro novo quid balnea svaserim, cum id jam antea ab omnibus Autoribus factum, verum ex sequentibus patefiet, nostram adhibitam methodum ab aliorum modo multum differre, adeoque omni jure novam appellari posse, nimirum *Dolæus*, *Ettmüllerus*, *Nenterus* & alii multi svasent quidem balnea ex aqua dulci, cui parum mellis additum, putantque hac ratione vermiculos, comedones, dulcedine correptos, per poros cutis capita prominere & egredi, atque deinde vel cultro extrahi vel novacula aut crusta panis abradi posse; verum, an finem optatum semper obtinuerint, adhuc esset disquirendum? illud certum, quod hæc balnea nunquam præservationis, sed curationis gratia, nunquam primis septimanis post partum & quidem indistincte apud omnes infantes, sed atrophia jam præsentem, commendaverint, non dicam jam de periculo, quod infantibus, sese parum moventibus, ex cultro vel novacula, inferri possit, imo aliqui Autores videntur hunc modum curandi atrophiam non, tanquam ex propria praxi desumptum svasisse, sed quod feliciter *Ettmüllerum* & *Dolæum* secuti fuerint. Nos vero cum sub initium praxeos in nostra hypothese à *Cl. Rolincio in Consult. p. 995* & *Wedelio in disput. de Atrophia p. 30*, & aliis confirmaremur, nempe originem horum comedonum esse prohibitam transpirationem, non vero vermes, omnem intendimus cogitationem, quo statim ab initio, priusquam materia in poris cutis hærens indurata fuerit, omni modo, quantum possibile hanc transpirationis actionem promoveremus. Secuti etiam sumus *Cl. Dn. Christoph. Job. Langium in operibus Part. III. pag. 613*. quando inquit: *Quapropter balneo imponitur infans, fricatque tunc balneatrix manu sua artus, ventrem, & sic omnem viscidam materiam adhaerentem detergit, & hæc sordium remotio absolute est necessaria, quippe sine qua insensibilis illa ad vitæ salubritatem adeo necessaria transpiratio succedere nequit, estque hæc lotio sub forma balnei tuta & omni periculo carens.*

S. 14.

Methodus vero nostra, qua per Dei gratiam semper cum
C maximo

maximo commodo usi sumus, sequens fuit: Nempe post primam lotionem post partum necessariam & ubique locorum receptam, apud omnes infantes iterum tertia vel quarta septimana postea balneum adhibetur, & quidem hoc modo. Paratur balneum ex herbis nervinis & emollientibus, verbi gratia, melissa, chamomilla aa Mijj & rosmarino Mj. Aqua virtute harum herbarum imprægnata tepido calida vasi ligneo longo excavato, concavo infunditur, tunc obstetrix pedetentim dimittit in hoc balneum infantem nudum, & provide sinistra illum tenens manu, ita ut caput ab altera persona simul suffulciatur, manu dextra hac aqua tepido calida optime totum lavat infantis corpusculum, præprimis in dorso, femoribus, brachiis, circa regionem scapulæ, etiam in facie & in temporibus, hoc factò ad manus stat orbis, farina triticea tenuissima repletus, in hanc palmam manus dextræ intingit, & hac farina in rotunditate totum dorsum & nominatas regiones optime fricat, iterum palma manus abluit, denuo tali modo farina fricat, idque tam diu, usque dum hi comedones dicti sub forma setarum crassiorum, instar vermiculorum alborum ex poris cutis prodeant, ubi notandum, aquam non nimis calidam, neque etiam frigidam esse debere, quando enim nimis calida est, infantem lædit, & quando nimis frigida, pori cutis non aperiuntur, deinde notandum frictionem non in longitudine & digitis, sed palma & in rotunditate esse instituendam, cum enim pori corporis rotundi, etiam in rotunditate fieri debet frictio, alias comprimuntur pori & comedones seu sordes istæ mucidæ non prodeunt, porro semper adhibenda est farina triticea finissima ad poros emolliendos & vias patulas reddendas, pura aqua enim aut melle veluti nimis unctuofo pori non semper aperiuntur. Hic mos balneis utendi bis, ter, quater pro necessitate est repetendus, quavis septimana, quando enim sub primo balneo hi sic dicti comedones non prodeant, sub secunda certe lotionem in maxima copia, & quidem in femoribus, musculari humeri, dorso, scapula, etiam in musculis temporum sese præsentant, in tertio balneo copia eorum plus minor est, in quarto nil amplius cernitur, & hoc est signum, omnem illam visci-

viscidam materiam hac ratione ex poris cutis esse protrusam, adeo-
 que liberum actum transpirationis redditum esse; sapius ta-
 men accidit, tenellulum corpus hisce comedonibus adeo cu-
 mulatum esse, ut tres quatuor lotiones non sufficiant, hinc ne
 debilis fiat infans, brevi spatio balneum est absolvendum, &
 contra eo sapius reiterandum. Post peractum balneum infans
 involvitur mappulæ manuali eide seine Serviette optime calefa-
 factæ & quidem circum circa totum corpus, leniterque hæc
 mappula corpori apprimitur, ubi sordes istæ viscosæ huic map-
 pulæ adhærent, & hinc non opus est novacula neque crusta
 panis uti, nec refert, an fordiū aliquid in cute hærescat, cum
 exarefactæ, sponte decidunt. Hoc factō mammae porriguntur
 infanti, de novo induitur & cunis imponitur, ubi statim som-
 nus placidus illum obrepat.

§. 15.

Usū horum balneorum, tali modo apud infantes adhibi-
 torum, non satis certe collaudare possum: Quando enim infan-
 tes post partum semper inquieti fuerunt, ita, ut nec gestati, nec
 in cunis moti quieverint, mirum quantum post balneum pri-
 mum & secundum quieti redduntur, ad somnum componuntur &
 placide dormiunt. Opē horum balneorum præservantur ab acho-
 ribus, tineæ, & aliis cutis defædationibus, transpiratione quippe
 restituta, serum illud scorbuticum coacervatum insensibiliter
 diffilat. Maximum vero commodum ex his balneis proveniens
 est, quod nutrimentum seu augmentum corporis ex hac causa
 impeditum, egregie reparatur, & infantes visibiliter cum *evētia*
 pingvescunt, adeoque à macie & atrophia præserventur. In-
 terim notandum adhuc venit, nos simul cum balneis primis
 septimanis usurpatis ad cruditates primarum viarum acido vi-
 scidas simul eliminandas dedisse pulveris Jalap. gr. j. ij. cum
 pulvere epilepti: *Maxh.* gr. iij, & sic totum lactationis tempus,
 infans nisi nutrix in erroribus diætæ peccaverit, aut ejus lac
 in qualitate vitiosum fuerit, quiete sine clamoribus transege-
 runt. Hinc non immerito miramur, cum testante *Cl. Wedelio*
in libro de morbis infantum p. 19. jam olim continuatio balneorum
 in usu fuerit, quod nunc eorum usus fere obsoletus sit, & apud
 infan-

infantes ea non adhibeantur, cum certe tutus eorum usus, omni periculo careat. Nos sane pro certo affirmamus, remedium esse optimum præservativum, universale & praxi quotidiana confirmatum. Ut ex multis centenis exemplis unicum saltem luci demus. Cum ante annum & quod excurrit, medicinam facerem apud Generosissimam familiam in Ducatu Luneburgico vicino, infans neo-natus, alias optimè constitutus, nisi quod inquietus fuerit, tertia septimana post partum, more nostro balneo impositus est, adstiterunt generosissimi parentes, adfuerunt generosissimi vicini interque hos aliquot increduli, sed propriis oculis turmam comedonum ex poris cutis hac methodo projectorum viderunt, tertia septimana post reiteratum fuit balneum, & processerunt comedones in minori copia. In reliquis balneis ne vestigium comedonum adfuit. Hic infans postea, Deo sit laus, per totum annum & quod excurrit, nil incommodi fere sentit, ut certe hoc tempore omnes, qui illum adspexerunt, & habitum corporis optime constitutum torosum obesum sanum consideraverunt, in admirationem conjecti fuerint. Simili ratione hoc anno institutum fuit balneum ante tres menses apud alterum puerulum neo-natum, ubi demptis & abactis sic dictis comedonibus infans optimè nutritus fuit.

§. 16.

Quemadmodum autem in applicatione horum balneorum facile ab improvidis peccari potest, ita horum gratia aliquot cautela erunt apponenda. Balneum igitur non prius est in usum vocandum, nisi de umbilico optime exiccato certi simus, non adhibendum in oppletionem pectoris infantum catarrhali cum febricula præsentem, sed differendum. Cave, ne balneum sit nimis calidum, neque nimis frigidum, id quod prudens obstetrix facile discernere poterit. Non opus est ut infans usque ad collum in balneo maneat, sufficit iusta & optima abluutio ad poros cutis referandos. Non ultra semiquadrantem horæ hoc balneum duret, quo celerior operatio fieri poterit, eo melior. Omnis aer frigidus quovis modo arceatur. Mappula manualis ad abstergendum adhibenda probe sit calefacta, ut & indu-
sium

sum induendum. Hæ cautelæ si probe observentur, nunquam infans ex balneis detrimentum, sed potius summum usum capiet.

§. 17.

Accedimus ad alteram methodum maciei curatoriam. Hæc locum habet, quando ipsa atrophia ex neglectu balneorum adhibendorum jam præsens est, & radices egit, scilicet, quando una cum pororum cutis obstructione fere plenaria, adest quoque glandularum infimi ventris & tubulorum lacteorum infarctus, ita ut chyli resolutio non recte fieri possit & transitus in sanguinem impediatur, & de qua causa elegans observatio reperitur in *Ephemeridibus Nat. Curios. Cent. V & VI. p. 205*. In hac macie sane infantes omni spoliantur nutrimento, & vires inde adeo debiles sunt, ut nec manus attollere nec pedibus inniti possint, proinde si auxilium differatur, accedente febre lenta consumantur. Ibi præter repetita balnea ad poros cutis referandos etiam necessario interna sunt adhibenda medicamenta, & faciunt hic omnia ea, quæ visciditati acidæ ex infimo ventre educendæ, obstructioni glandularum tollendæ, concoctioni ventriculi juvandæ & distributioni chyli promovendæ apta sunt, uno verbo, aperientia laxantia, temperantia, corrigentia, & roborantia. Præcæteris laudanda est, Tinctura Vitrioli Martis tartarifata Ludovici cum interpolatis laxantibus, hæc tinctura est medicamentum summum nobile, & revera polychrestum, Ex multis aliis innumeris exemplis operæ pretium erit unicum hic asserere: Nempè ante duos annos, cum generosissima quædam familia in Ducatu Magdeburgico meo uteretur consilio, egoque ipse hanc domum inviserem, oblatum mihi est infans pauper 4 annorum adeo macilentus & atrophia consumptus, ut cutis vix ossibus hæreret. In femoribus enim & brachiis fere nulla conspiciebatur caro, abdomen erat tensum, pectus elevatum, facies longa, caput non erectum, sed pendulum, svasi cum balneorum repetitione ex herbis optimis paratorum usum sequentem 4 pulverum omni septimana unum, sumendum scilicet pulveris Jalap. gr VI, mercurii dulcis gr ij Diagryd, Crem.

Crem. tartar. aa gr j, simulqve dedi tincturam vitrioli martis tartarifatam Lud: unciam semis Eff: trif. fibr. Drachm. ij macis. Drachm. j omni die bis ad 20 guttas sumendam, unaqve prædixi, fore, ut à primo balneo comedones non sint prodituri, adeoque continuandum balneum, id quod eventus etiam ita docuit, cum post sex menses iterum ad generosissimam domum vocarer, offerebatur mihi idem infans plane mutatus, obesus, sanus, optimus, & mater non satis edicere potuit, quanta copia comedonum in secundo, præprimis vero in tertio & quarto balneo fuerit eliminata. Possem plura ejusmodi exempla afferre, sed hæc lectorem detinere, non opus esse existimo, sufficit, & unumquemque experientia docebit, usum balneorum secundum nostram methodum, tum præservandi tum curandi sine in atrophia esse optimum.

§. 18.

Supereft, ut de illa ipsa macie, qua post ablaetationem infantes nihilominus aliquando corripiuntur, licet primis septimanis ope balneorum viscida lymphæ in poris latitans, fuerit abacta, pauca dicamus. Hæc atrophia, cum sæpissime puras occasionales causas pro fundamento habeat, impossibile est, ut methodo nostra infantes ab illa præcaveri possint. Scimus enim & unicuique cognitum est, quanta copia nutrices, cibos duros, acidos, spissos impastantes, crassos, pultaceos, panem recentem & sic porro infantibus obtrudant, ut necessario inde resolutio ciborum consequi non possit, sed potius chylo & reliquis humoribus in crassatis, glandulæ, organa colatoria hinc infarciri debeant, accedit commune illud malum, nempe potus nocturni in maxima copia infantibus concessi, ex qua causa quantum detrimenti pulsiones capiant, ubivis notum. Quid, quod sæpius febres, obstructio lienis, hepatis ulcera, aliæque causæ ansam præbeant huic malo, ubi per se clarum est, balneis applicatis hanc maciem neutiqvam præservari potuisse. Interim in cura hujus mali, quæ sæpius difficillima est, quod infantes medicamentorum interiorum usum reformident, balnea una cum aliis optimum præstant effectum.

§. 19.

§. 19.

Quamvis nunc, uti paragrapho antecedente diximus, præservatio hujus mali in tali casu, locum non habeat, tamen præsentiore nobis effectum in illo morbo, Anglis endemio & Rachitis dicto, promittimus. Cum enim, secundum plurimos Auctores hic affectus cum atrophiam eximiam affinitatem habeat, & sese prodat non tantum cum deformitate articularum, sed etiam cum quacunqve corporis successiva contabescencia, imò testante Dolæo infantes in Anglia à sexto mense suæ ætatis ad finem usqve secundi anni illo morbo infestentur, adeoque probabile, & illam ipsam transpirationis prohibitam actionem pro causa quoque adduci posse, nihil impedit, quo minus credamus, methodum nostram, quo omnibus infantibus, primis mensibus post partum balnea adhibemus, & hujus ope transpirationis negotium promovemus, insigne quoque huic morbo præservativum fore. In nostris oris hoc genus morbi rarum quid est, & *Dolæus in Encycl.* bigis infantum tempore præceos, tantum medicinam fecisse, testatur, *Lentilius tamen in Iarvonnem. p. 101.* plures rachiticos in Svevia offendi affirmat. Quod si ab aliis methodus nostra in usum vocabitur, dies docebit, qualis effectus inde sit sperandus.

§. 20.

Unicum illud adhuc addendum, nos anno præterlapsò cum variolæ hic & alibi maximam stragem facerent, & aliquot centeni infantes hoc morbo correpti essent, nos certe apud illos infantes, quibus primis mensibus post partum balnea applicata, confluentes variolas non observasse, illosqve fere omnes præ cæteris evasisse, & licet hanc observationem pro infallibili non declaremus, cum varioli per multos annos, non confluentes sed discreti, excepto anno superiori, hic regnaverint adeoque plures observationes ad hanc thesin probandam, requirantur, illud tamen certum est, quod in liberiore transpiratione una simul cura variolorum consistat. Tempus interea, & plures observationes de hac veritate, qua tali, testari poterunt

runt. Nos hac vice concludimus, cumque methodicam hancce
balneorum administracionem, ad publicos usus commendantes,
ulteriorem ejus explanationem, si Deus vitam & vires largie-
tur, nobis reservamus, ita dabimus operam, ut ob Bibliopolæ
reiteratas preces brevi temporis spatio vernacula
lingva prodire possit.

S. D. G.



Unklar, weil sehr undeutlich, aber es scheint, dass es sich um eine Fortsetzung des Textes handelt, der auf der gegenüberliegenden Seite beginnt. Der Text ist jedoch so verblasst, dass er nicht lesbar ist.

VD 77
VD 48




Liber
Bibliothecæ Academicæ Halensī
a
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,
Med. Doct. & Practico
Berolinensī,
TESTAMENTO DONATVS.
1729.

56



2ca 6069







4

METHODVS NOVA
PRÆSERVANDI ET CURANDI
ATROPHIAM
SEU
MACIEM
INFANTVM,

& per consequens
MORBVM sic dictum ANGLICVM,
QVAM
MVLTIPLICI EXPERIENTIA CONFIRMATAM
PVBLICIS VSIBVS COMMENDAT
D. CHRISTIANVS FRIDERICVS
CHUDEN,

PHYSICVS PROVINCIALIS IN VETERI MARCHIA ET COL-
LEGII MEDICI BEROLINENSIS ADJVNCTVS.

LIPSIAE,
Sumptibus **ERNESTI HENRICI CAMPEN,**
BIBLIOPOLÆ VETERIS MARCHIÆ.
SOLTQVELLÆ, excudebat **CHRISTIANUS SCHUSTER,** 1726.

2.

